Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1828) Lisez 1528

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-primâ Martii.

M. RAYMUNDO FINOT, Doctore Medico, Præſide.

An frequens cœli mutatio ſalubris?

AER commune vitæ pabulum, quo uno vigent cuncta. Tardùm dictu utile ſit magis an neceſſarium? Sua ſunt panis & aquæ, ſua alimentorum ſupplementa, aëris nulla. Somni quoque vices aliquatenus penſat theé potus; leproſos videas carere ſenſu ſoſpite vitâ, motu paralyticos, ſanâ mente permultos, crudos non paucos in quibus tota fere perit coquendi virtus, jugi diarrhæâ, quotidiano vomitu, alios macie confici, corpus, non vitam amittentes. Unius reſpirationis æqua ſemper neceſſitas, cœteris functionibus vita adjuvatur, hâc continetur. Functiones à ſpiritibus, & concinnâ partium ſtructurâ, has inter eminet pulmo, hujus ſit an cordis neceſſitas major? incertum. Avulſo corde ranas ſaltare, ſerpentes moveri conſtat, latrat canis, ſeſeque in pedes conjicit; quin & hac parte exenteratum hominem ad Deum preces fudiſſe perhibent, non ita de animalibus Machinâ Pneumaticâ incluſis, quæ aëre defecta mox glebarum inſtar immota jacent, vitam quam inſpiratione acceperant, celeri expiratione redditura. Qui ſtudiorum amœnitates quærunt, totùm id in aëre virtutis, ſpiritui nitroſalino, ſulphureiſque particulis referunt acceptum, jucundè magis quam utiliter; quis enim à peregrinis aëris dotibus vitæ munia repetat? aut quibus argumentis genuinam aëris naturam aſſequatur? hic cœcutiunt oculi, deficit palatum, fallitur odoratus, hebeſcunt ſenſus omnes medicorum fiducia, ut mirum videri poſſit, tria hæc habita veteribus principia, ſine ſapore eſſe; ſine odore; ſine ſucco, aquas, aëra, ignes. Veriùs dicam, ſola aëris vis elaſtica tot obſervationibus intellecta tot experimentis fulcita, abunde & ſanitatis & vitæ cauſas aperit.

PER volubiles ſanguinis globulos infuſus aër, ſpiritu prægnans, dum eâ quâ poller partium tenuitate, penitiores illius porulos opplet, arctè compreſſus reſilit, reſiliunt & actuoſæ ſanguinis particulæ viciſſim compreſſæ; ut hoc mutuo Eluctantium partium diſſidio, ceu Elaterum turbâ ſucculſus ſanguis, velut oſcillatione quadam tumens, viciſſimque depreſſus in ſe agatur, cordis & arteriarum ictu reciproco in orbem ducendus. Hâc gemini motûs perennitate ſtat vita, chylus veluti piſtillis ſubactus colliqueſcit, evehitur in ſanguinem, niteſcunt ſucci, vigent ſpiritus, functionum ſeries æquabilis. Majores adhuc aëris vires quæris? animali recens ſuffocato inſufflatus in canalem thoracicum aër, ſic vitæ gubernacula temperat, ut pro aëris modulo, pulſet cor, & vita revocetur. Quin & miaſmata quibus inquinatus aër luem ſpargit, eundem ſalutis & vitæ præſidem arguunt, arguunt terrarum tractuſque maris, quos habent Syria & Ægyptus, endemiis febribus obnoxii; Indorum plagæ peſtilentes. Sic Polonos Plica, Ægyptios Elephantiaſis, Rachitis Anglos, Americanos venerea lues inficit; ſed & occultam mirare regionum idioſyncraſiam; Ex inſulis alias habes, quæ mulieres, alias quæ viros necare amant; alterùm alit prodigii genus monſtrorum ferax Affrica, ubi plagam videre eſt, cui indigenarum mors in uſu eſt, advenatum ſalus in pretio: illic enim ex Luſitanis loci viris, vix quinquagenarios, ex hoſpitibus, modo Æthyopes fuerint, etiam centenarios facile reperias. Nec à vero alienum eſt ad aëris temperiem ingenia, mores, corpuſque fingi; hinc Germania fortes, Graves Hiſpania, Polonia nobiles, Anglia induſtrios, quæſtuarios Batavia, felicia omni ex parte ingenia, Gallia profert. Scilicet aëri ſpiritus congeneres; ut quæ ſpiritibus affinia ſunt, aëri reſpondeant, adeo tenuia ſunt aut ſubtilia: ſic ſalia volatilia reparant ſpiritus, colligunt vires, vinum fugat ſyncopen vel naribus admotum. Vice verſâ male ſano aëri conſonant quæ ſpiritibus inimica; ſic muſtacei vapores, carbonum halitus, ſpiritus peſſundant: nec minor aëris in ſanguinem poteſtas, qui ceu morbidæ labis oblitus, coccineum & grate rubentem, aëris acceſſione, colorem induit etiam in vaſculis.

SED ſalutaria aëris commoda mire juvat cœli mutatio. Homo naſciturus, à morbo vitam inceptat; quonam enim alio nomine indigitares partûs & parientis moleſtias? ſed has invexit aëris alternandi neceſſitas; loci mutatione primus fit ad vitam progreſſus. Scilicet! aſſidua ejuſdem aëris conſuetudo aut noxam affert, aut faſtidium. Fracti uſu continuo aëris elateres fatiſcunt, cumque ſemel ſubiere pulmones, vieti jam ac remiſſiores, nec ſanguinem ſubigere, nec ſpirituum generationem promovere poſſunt: hinc interruptæ functiones, omniumque languor & inertia. Num hac de cauſa vetularum halitibus infantes contabeſcunt? Effœtus ſcilicet repetitis hauſtibus aër, aut inutilis, aut inimicus. Contra alternâ locorum viciſſitudine, novo jugique ſemper auræ prædivitis appulſu, ſpirituum cùm pernicitate ubertas, cuncta facile permeando bonis omnibus ſanitatem cumulat: Inſtituto naturæ congruit cœli mutandi neceſſitas; quorſùm enim tam multiplices temporum mutationes? nubilæ, innubilæ temperaturæ cœli, apricitas, procellæ, imbres, ſi una cœli facies ad vitam ſatis eſſet: quo tonitruum fragores, fulgurum eclampſis? niſi aëri immutando explodendove? quo tam ordinatæ anni tempeſtatum viciſſitudines? niſi novo identidem aëri hominibus advehendo: hinc ſi ſuas alternare vices omiſerint, mille proferunt morborum genera: eodem collimant multiplex ventorum varietas, ortuſque ſolis & occaſus. Scilicet ut vel immotis hominum ſedibus jugiter mutaretur cœli facies: nec aliud ſuadere poteſt aëris indoles, quem adeo volubilem natura fecit, ut ſponte ſuâ ventorum mutationibus obſecundaret: quemadmodum enim dapibus ſaluberrimis exſurdatis ſtomachus, inſuetis licet deterioribus pervelli amat; ſic ad ſanitatem facit locorùm & cœli etiam in deterius mutatio: peſſimum cœlum quod fecit ægrotum; inde phthiſicorum, aſthmaticorum, & hyſtericarum nonnullis auxilio eſt etiam craſſior aër, nocet liquidior.

QUOD vitiis obnoxius ſit aër nemo non novit. An hæc illi contingunt à propriâ principiorum antipraxia? An ab occultis miaſmatis? Sicut enim optima hominis temperies ſenſim deteritur, ita temporum lapſu vitium facit melior cœli temperatura: hinc aërem à primigeniâ virtute deſciviſſe non ita à ratione alienum, hoc argumento quod à diluvio longe brevior facta ſit hominum ætas: ut ut ſit, arcana aëris vitia produnt ea rura, ubi ſi diutius moram feceris, ſtatim iniqua ſurgit valetudo, quæ ſi mutaveris priſtina redit ſanitas. Sed ex aporrhæis ſæpius repetenda eſſe aëris inquinamenta certo certius eſt; ejus ſunt ſortis halitus, qui terræ motus & chaſmata ſequuntur, imo & ſine ullo telluris hiatu aut concuſſione, interdum ſeſe efferunt effluvia quæ aërem derepente venenant: ſic Oxoniæ peſtilentis auræ ſubito afflatu trecentos & amplius Anglos enecatos memoriæ proditum eſt: ceſpitis fumum phthiſicis auxiliari ferunt, ut regiones in quibus ceſpites comburi ſolent, phthiſicis vacent. Tot mala ſecurius tutiuſque emendabit cœli mutatio: hac arte renovatus, quo vivimus ſpiritus, imminentes morbi cauſas velut in embryo comprimet, inuſtamque ſerpentis mali labem, aliàs ineluibilem delebit: ſic urbium incommodis quæſita olim curioſè medicina hortulis, villis, rure ſuburbano; vice verſâ videas hodie ſtudioſos, litteratos, libris impallentes, mulieres, & quotquot deſidem agunt vitam, fluxis adeo reſolutiſque viribus; nec aliunde major tot cauſariorùm, rheumaticorum, arthriticorum, hyſtericarum ſeges; Ex quo ſedes alternare ceſſatum eſt, macies & nova febrium terris incubuit cohors, ſemotique prius tarda neceſſitas lethi corripuit gradum. Recens enim prorſuſque novus aër, nativâ virtute dives, ævo longiori ſolus olim par erat; qui nunc velut effœtus & quaſi ſenio quodam exſuccior, mutari poſtulat, ut quidquid antiquæ virtutis reſiduum, per varia loca diſſeminatum adhuc retinuit, hauriri poſſit.

POSTHAC cœli mutandi neceſſitatem quis negaverit? aut quis non potius in deliciis habeat facilem adeo & parabilem prorogandæ vitæ legem, quæ, dum mentem & ſenſus acuit, corpus & animum exhilarat, nec ſuis partibus deerunt muſarum cultores avari, aut rerum graviſſimarum adminiſtri, ſi hoc uſurpent ſanitatis tuendæ perfugium, amant alterna camænæ, ipſaque negotia juvat ejuſmodi animi laxamentum amara curarum eluere efficax; quantum addit ad vitam animi tranquillitas, tantum detrahit nimia corporis inertia: Ea nimirum eſt hominis vitæ conditio ut illi identidem ſit mutanda tellus, ne diutius eundem ſorbens aërem, lentum hauriat venenum; ſimili ratione non ventilatus aër indubitatæ mortis inſpirat cauſas; ſic in Affricanis littoribus familiares ſunt tranquillæ tempeſtates, νηνεμίας vocant, tractuum illorum incolis graves; pari de cauſa longiori malaciâ, nautæ languent, donec aëre viribuſque defecti pereant; hæc contingant neceſſe eſt, quoties torpentis aëris elateres aut nimiâ humiditate terrarumve expirationibus emolliti, aut longâ intermiſſione fracti, ſuo deſierint officio. Sic puteis & ſpecubus diu concluſus aër incautos perimit: hæc illa eſt ad vitam ſic comparata cœli mutatio, ut conclamatis ferè ſanitatis rebus velut ultima perituris ſuperſit in naufragio tabula. Ad tabias phthiſicos & aſthmaticos relegabant Romanorum Medici; ſerenum aliis Ægypti aërem ſuadebant. Tabi Anglorum flagello medetur Gallicanus aër: adeo omnibus utile eſt, infenſum nemini modo in agro, modo in urbe eſſe, ſæpius in agro. His concinit nautarum experientia quos morti vicinos exſcenſione factâ convaluiſſe conſtat. Scilicet non idem eſt maris & terrarum aër. Sic ſi littoribus ſuis deceſſerint ſcorbutici, evadunt: colicos dolores etiam contumaciſſimos ſolvit factum ad milliaria aliquot equo rhedave iter. Solenne denique pancreſton eſt patria terra, adeo ſanitatem fovet aut reſtituit cœli mutatio.

Ergo frequens cœli mutatio ſalubris.



Proponebat Pariſiis PHILIPPUS BERNARDUS DE BORDEGARAYE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1697.